

## 462.

*Erzbischof Wichmann von Magdeburg vergleicht sich mit dem dortigen Konvente unter Bürgerschaft auch des Grafen Dedo über den Ersatz zweier aus dem Kirchenschatze verkaufter goldener Kelche und Candelaber.*

1182 [Mitte Febr.].

- 5 *Hdschr.: Kop. im Magdeburger Kopial (Saec. XV.) fol. 1. Haus- und Staatsarchiv Zerbst.  
Gedr.: v. Heinemann, Cod. dipl. Anhalt. 1,452.  
Anm.: Da ein größerer Theil der in den beiden vorhergehenden Urkunden genannten Zeugen hier vorkommen und der hier abgeschlossene Vertrag am 27. Febr. 1182 (Stumpf 4336) vom K. Friedrich I. zu Gelnhausen bestätigt wurde, so fällt die Urkunde in die Zeit der Provinzialsynode von Halle, in den Februar (Mitte).*
- 10 In nomine sancte et individue trinitatis. Wichmannus sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus. Noverit fidelium universitas, quod pro restaurandis duobus calicibus aureis, de quibus octoginta marcas auri et unam habuimus, et duobus candelabris, quorum candelaborum estimacio est centum marce, hec ex voluntate conventus, burggravii et ministerialium de armario accepimus et pro hiis annuatim ccc marcas  
15 Magdeburgensi ecclesie contulimus in ea distincione, ut ducente xxxvi marce de moneta in Magdeburg et sexaginta et iii marce de cameris in Halle, quas ecclesie contradidimus, ecclesie persolvantur. Medietas ducentarum et xxxvi marcarum, que de moneta Magdeburg annuatim dabuntur, in assumptione sancte Marie solvenda est, reliquum vero in  
20 dominica letare Iherusalem persolvetur. Census camerarum in Halle certis et statutis temporibus, sicut nobis dabatur, ecclesie ministrabitur, quia cum omni utilitate attinente ecclesie eas donavimus. Erit autem auri estimacio pro qualibet marca auri x marce argenti, pro opere vero ad reparandum ornatum xl marce deputate sunt, et si hec ad reparacionem non sufficiant, quantum necesse est, apponetur. Hec colligent sex ex canonicis. Rokerus Magdeburgensis maior prepositus. Sifridus decanus. Albertus de Bisen-  
25 rode. Conradus frater castellani. Bertholdus cellerarius. Hermannus de Landesberk. Layci vero Burchardus burggravius. Geuehardus de Wranekinsten. Richardus de Alesleie. Heynricus scultetus. Conradus de Burg et Gerbertus advocatus. Est eciam fide et promissione nostra, conventus quoque maioris capituli, Bernhardi ducis. Dedonis comitis, Burchardi burggravii, Walteri de Arnsteyn et aliorum nobilium et ministerialium  
30 firmatum, quod de hiis, que nunc in armario habentur vel recollecta fuerint, nulli unquam petenti, quousque universa ex integro restituantur, aliquid concedatur, nisi manifesta necessitas et utilitas ecclesie postulet et nisi communi consilio fiat. Insuper promisimus, quod hec, sicut statuta sunt, firma permaneant et quod nulla malivolencia et nullo malo ingenio per nos dissolvantur. E converso a maiore preposito a decano et a conventu una  
35 cum beneficiatis et ministerialibus date fidei promissum suscepimus, ut, cum universa ecclesie ex integro persoluta fuerint, determinata pecunia et camere nobis vel successori nostro libere dimittantur et vacent. Ut autem hec donacio et ordinacio rata et inconvulsa permaneat, et, ne quis eam immutare presumat, auctoritate dei et sanctorum apostolorum Petri et Pauli et nostra sub anathemate prohibemus. Et, sicut promisimus, privilegium  
40 domini imperatoris super omnibus hiis usque letare Iherusalem obtinebimus, nec non